

Wesburg

1071



10
1.
29.
3.
4a
5
6a
7
8a
9.
10
11
12.



4786. DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

DE

PARIETE COMMUNI, EIUSDEMQUE
JURE.

QUAM

PRÆSIDE TRIUNO,


DECRETO ET AUTHORITY
AMPLISSIMI JURISCONSUL-
TORVM ORDINIS,
IN FLORENTISSIMA ARGENTINENSIVM
UNIVERSITATE,

PRO

*Consequendis summis in Utroque Jure honoribus
& Privilegiis DOCTORALIBUS*
SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOHANNES Scherbaum /
Durlaco - Marchicus.

Ad Diem XII. Mens. April.




ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI,
A.NNO M DC LXXI.

UNIVERSITATE
FACULTATE JURIS
DOCTORI JOHANNES GEDDING
ANNO M DC LXXI





C. B. D.

DE

PARIETE COMMUNI EIVSDEMQUE JURE.

EXantlatis, per DEI Gratiam, consue-
tis in Utroque Jure Examinibus, cum ex Decreto
Magnifici atque Consultissimi Collegii Juridici, pro con-
sequendis summis honoribus & privilegiis DOCTORALIBUS
facultas mihi concessa sit, Disputationem Inauguralem rite propo-
nendi, & uti moris hic est, eandem sine Præside habendi; præ-
aliis ventilandam sumsi, hanc de Communi Pariete Ejusdemque Jure,
materiam, à nemine, quod ego quidem sciam, hactenus metho-
dice pertractatam, quantumvis valde quotidianam: per totum
quippe terrarum orbem, qui modo habitatur, domibusque ex-
ornatur, non arbitror ullum reperiri vicum, ullam civitatem,
ubi non plures istiusmodi parietes habeantur, ad eò ut *Bojer. in
Consuetudin. Bituricens. tit. d. Serv. real. art. 196.* scribere non vereat-
ur: *In urbe ac suburbis Aurelianensibus, omnes parietes inter vicinos esse
communes: ibi: E's villes & Fauxbourgs d'Orleans tous murs sont com-
muns entre voisins jusque à neuf pieds &c.* De Italia & imprimis Ve-
rona, vid. *Cap. in tract. de Servit. præd. Urban. c. 40. de Bononia &
Padua Ang. Perusin. de aliis & Civitatibus & Regionibus* ad ean-
tur alii. Unde facile apparet, vix aliquam Jurismateriam in
judiciis magis ventilari, quam nostram: quo enim propiora sunt
contentionum semina, eo quoque facilius & frequentius oriun-
tur controversiæ. Hanc igitur ordine nunc examinatumimus,
quod ut fiat feliciter, Divina faxit Gratia!

THESIS I.

Est autem jam inde à distinctione dominiorum, ædificatione
ac conjunctione domuum ita cum limitibus urbanorum
prædiorum, quorum vicem paries sustinet. *l. 4. §. pen. ff. fin. Reg.*

A 2

compa-

comparatum, ut nisi certis terminis circumscribantur jura vicinitatis, hic velut in communi centro concurrentia, necesse sit, quotidianis disceptationibus vicinos judicesque fatigari: *quas enim vulgo exercitare solent lites jura servitutum, eas haud raro, libertatis jure moveri videmus, inter vicinos, qui vel servitutem aliquam fingunt, ubi tamen nulla est, vel si qua est, eam omnibus modis declinare student, ut, si unquam, certe hoc casu judex suam discretionem exercere habeat: Verba sunt Carpz. Decis. Illustr. Saxon. p. 2. Decis. 108. n. 1.*

II. *Parietem igitur dicimus, omnem structuram quæ à solo in altum surrexit, ad ferendum onus tectorum, quæve obducta stet ad interiora ædificii vacua obvallanda, cum Vitruv. d. Architect. lib. 2. c. 8. Alio nomine murus appellatur, German. eine Mauer/ sicut autem parietum varia sunt genera: Alius namque solidus nuncupatur, qui à solo continuo ductu ad fastigium exurgit. Alius fornicatus dicitur, qui sc. arcum quendam habet, nec continuo ductu ad fastigium exurgit. Brissou. neque non plura parietum genera vide sis apud Vitruv. d. l. Alius item vocatur proprius; alius alienus; alius denique communis. Ita nos quo temporis habeatur ratio, missis prioribus, ad posterius parietum genus nos convertimus, quo diximus, aliquem dari parietem, qui sit communis. Hujus itaque jura in subsequens perlustrabimus, & ubi primò in genere quædam præmonuerimus, postmodum in specie de consentaneis, Causis scilicet tum internis, tum externis, ut & Affinibus, & Dissentaneis, sive Contrariis verba facturi sumus.*

III. *Vox Communis, commune, communio, non uno semper in jure nostro accipitur modo: Commune enim modo pro Rep. accipitur, ut in l. 37. ff. d. Judic. idque ad imitationem Græcorum, qui sæpius in neutro Genere, τὸ κοινὸν dicunt pro Republica, ut Herodotus in Erato καὶ τὸ κοινὸν τῶν σαμίων ἔδωκε; quin & ipse Tullius in verrem lib. 1. p. m. 78. dixit commune Miliadum pro Repub. Miliadum. Modo etiam res aliqua communis esse dicitur publice & naturaliter, cujus fit mentio in pr. & §. 1. l. d. R. D. & in l. 2. pr. & §. 1. ff. eod. ubi quædam naturali jure communia sunt omnium; modo privatim & civiliter, quatenus res privatæ, dominioque nostro subjectæ cum aliis communicantur. C. J. A. ad t. Commun. div. thes. 2. Priores illæ acceptiones hujus loci non sunt, posterior autem, quæ huc per-*

hinc pertinet, in duo rursus abit membra. Privata enim ista communio vel *universitatis* est, vel *rerum singularium*. Vid. *Ampliff. Facult. Jurid. quondam Antistitem Dn. Gregor. Bicc. Rev. quotid. sect 4. th. 119.* Utraque introducitur vel *sine conventione*, vel *cum ea*. Illius generis exempla recitantur in *l. 31. ff. pro soc.* quibus adde *l. 25. §. 4. ff. Famil. Erisc. §. 3. J. d. O. q. q. ex contr.* Hæc verò re, in commune, citra tamen societatis mentionem, collata, perficitur. *vig. l. 4. ff. pro soc.* Quædam denique *communia* sunt *pro diviso* quorum secretæ & distinctæ sunt partes, oculisque cerni ac demonstrari possunt: Quædam *pro indiviso* quæ nullis dum factis partibus communiter possidentur, non divisione corporum sed juris intellectu. *l. 26. §. fin. l. 6. §. 1. ff. commun. præd. l. 94. §. 1. d. solut. l. 25. §. fin. ff. d. V. S. l. 8. l. 29. ff. d. A. R. D. l. 8. ff. d. R. V. l. pen. ff. pro soc. l. 19. ff. comm. div. l. 7. C. comun. utr. jud. Facit omnino l. 5. ff. d. Sup. Serv.* Ubi de Servo dicitur, eum ita communem esse, non quasi singulorum totus, sed pro partibus utique indivisis, ut intellectu magis partes habeant quam corpore, quas quidem appellant *quotitativas*, quæ propter utilitatem & commoditatem fiunt, quamvis corporaliter fieri non possent. *l. 2. §. 1. ibique Goth. l. 72. l. 85. l. 52. §. 1. d. V. O.* ita scilicet ut distributio illa partis intellectualis proportionatam commoditatem afferat, h. e. tantum utilitatis respectu partis, quantum totum in suo toto arg. *d. l. 85. §. 2. ff. d. V. O. l. 5. §. 1. l. 139. ff. d. V. S. l. 80. §. 1. ff. ad L. Falcid. Conf. Scip. Gentil. tract. d. divid. & individ. oblig. non ita pridem sub solemnis discussionis incudem missum ab Ampl. & Consultiss. Dn. D. Rebban. Venerando Fac. Jurid. Seniore, Patrono ac Præceptore nostro ætatem suscipiendo. in cap. 2. circa fin.*

IV. Quum verò commune sit, quod ad plures pertinet, per *l. 46. ff. d. R. N.* hinc paries quoque communis est, qui ad plures spectat, quemque communiter ædificant vicini, naturali namque ratione communis est paries, qui utriusque domus onera gerit & sustinet, *Coras. 4. Miscell. c. 16. per l. 8. ff. d. S. P. U.* Germanis appellatur *eine gemeine Wand oder Scheidwand* / quatenus scilicet ædes vicini, ab alterius vicini ædibus discernit atque separat, plerumque enim vicinorum ædes, parietibus istiusmodi communibus determinari solent. *l. 4. §. fin. ff. Fin. Reg. d. l. 6. §. 1. ff. commun. præd.* quod ipsum etiam Græcis usitatum est,



vocatur enim τοῖχος ὁ δύο κλίσεις ἀποκρίων, h. e. paries duas ædes vel possessiones sejungens, de quo videre est *Plin. in lib. 35. c. 12.* Galli appellant *un mur commun, ou un mur métoyen.* vid. *Bojer Consuet. Bituricens. d. Serv. real. art. 192. & seqq.* Quin & apud Latinos aliis quoque nominibus efferri solet. Vocatur enim paries *cratitius. l. 52. §. 13. ff. pro soc.* h. e. qui in cratis modum lignis contextis compositus est. *Vitruv. d. lib. 2. c. 8.* Ubi se velle, dicit, ut *cratitii ne inventi quidem essent, quantum enim celeritate & loci laxamento profint, tanto majori & communi esse calamitati, quod ad incendia uti faces sint parati, adeoque satius esse impensa testaceorum in sumtu, quam compendio cratitiorum esse in periculo.* Item *contratitius. Coras. dict. l.* Aliquando etiam *Intergerinus* dicitur, h. e. secundum *Festum lib. 9.* qui inter confines struitur & quasi intergeritur. Vel monente *Vitruvio d. l.* qui communiter utriusque domus onera gerit & sustinet, sic dictus, quod à vicinis extractus veluti intergerat, h. e. communiter gerendo sit. *Coras. d. l.*

V. Quandoquidem igitur hic loci occupati sumus circa jura prædiorum, ea autem nihil aliud sunt, quam prædia qualiter se habentia: per *l. 86. ff. d. v. s.* ideo *Jus*, de quo nunc agimus, nihil denotare potest aliud, quam qualitatem parieti annexam, ex eo quod communis est, quatenus communis est.

VI. Explicatis hoc modo *terminis & Definitione Nominali*, nihil nos morari poterit, quo minus ad *Def. Realem* progrediamur. Definimus Ergo *Jus Communis Parietis, Jus, quod parieti inheret, quatenus communis est.* Quæ quidem *Definitio* nulla indiget explanatione, modo attendamus ad *duplicem respectum & ἕξιν*, quam *Jus* hoc habet, *personas scil. & parietem ipsum.* *Personæ*, quibus *Jus* hoc competit, debent esse vicinæ, h. e. quarum ædes invicem ita junctæ sunt, ut nisi paries intermedius esset, scire non posses, an una tantum, an vero plures essent domus, quo sensu vicinus accipitur in *l. 22. ff. Commun. div. l. 43. §. 1. ff. d. damn. inf.* quamvis alias in latiori significato *Br. in l. 6. ff. d. aq. & aq. pluv. arcend.* etiam eos dicat esse vicinos, quousque vox hominis acclamantis exaudiri potest, quod tamen de voce communi, non nimis gracili, vel tubali quasi accipiendum, monent *Dd. comm. Parietem* autem hic non intelligimus alium, quam qui & quatenus communis est, quo ipso ratio differentiæ specificæ *Definitionis nostræ* indigitatur.

VII. Divi-

VII. Divisiones parietis in genere jam *supr. in th. 2.* enumeravimus, in specie vero ad nostrum deveniendo, præcipua & principalis ejus *Divisio* hæc est: quod *communis* sit vel *pro indiviso*, vel *pro diviso*, arg. eorum quæ sub *fin. th. 3.* dicta sunt. Est autem *pro indiviso* talis vel *ex societate expressa* quo pertinet *l. 52. §. 13. ff. pro soc.* vel *ex societate tacita & incidenti*, quod fit, quando quis imponit tignum ultra dimidium muri, & alter imponit itidem, ac uterque, prout cuique expedit, eo utitur arg. *l. 31. & l. 4. ff. pro soc. Vid. Cepoll. in d. cap. 40. Boër. Conf. 5. n. 1. & seqq. Anton. Thesaur. Decis. Pedemont. Decis. 23. & Decis. 219.* Econtra *pro diviso* communis est, quando vel nihil ab utraque parte est immisum, vel si est, immisum non perforat parietem ultra medietatem. *Dd. modo laudati.*

VIII. Absoluta tractatione *Generali*, procedimus ad *specialia*, quæ circa parietem nostrum considerata veniunt. Et quidem cum parum sit jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur. *S. fin. J. de J. N. G. & C.* Primo quoque loco hic de Personis (quæ *Causam Materialem* constituunt *subjectivam*) videbimus; dictum autem jam *supr. in th. 6.* personas debere esse vicinas, h. e. tales, quæ prædia ab utraque parte urbana tenent. *arg. l. 4. §. f. ff. F. R. Causa Materialis Objectiva*, h. e. ipsum Juris hujus *Objectum* est paries, eique annexa cõmunionis qualitas, quæ cum cognosci nulla ratione queat, nisi de signis & indiciis, unde ea probari possit, legitime constet, brevibus illa adducemus, juxtaque indicabimus, quæ probationes pro sufficientibus habendæ non sint.

IX. *Primum* itaque murus probatur esse communis ex *impositione tignorum*. Nam si immisum est tignum aliquod ultra dimidium ipsius muri, paries præsumitur esse ejus, qui imposuit, si vero non excedit medietatem, communis esse putatur *Mench. 6. præsumt. 72. num. 10.* Et hoc quidem, si alter tantummodo imposuit, quod si enim à duobus tigna fuerint imposita, multo magis communio præsumitur, *Masc. Conclus. 1144. num. 4.* Ubi tamen notari debet *Dist.* multum in se, ratione Effectuum, ut infra videbimus, continens utilitatis, adeoque semper observanda: *Aut* enim immisum ab utraque parte perforat parietem ultra dimidium, & paries communis est *pro indiviso per Dd. supr. th. cit.*

th. 7. *citt.* Aut non ultra dimidiam muri partem, & hoc casu paries communis est pro diviso. *Ref. Pol. Wörmat. §.* So aber einer *Balken.* (2.) Per foramina vel fenestellas in muro constitutas, durch die *Maurlöcher* oder *Blindsenster* / tunc enim si ex una tantum parte extant, paries præsumitur illius tantum, à cuius parte sunt foramina, nisi aliud signum in contrarium appareat. Si vero ab utraque parte extant, paries communis reputatur: per signum enim cognoscitur signatum. *arg. l. 1. §. 6. ff. d. Ædil. Edict.* & quia talia signa per cæmentarios & murarios ideo plerumque apponuntur, ut sciri possit, ad quemnam vicinorum paries pertineat. Eadem autem, quæ de tigno immittendo, & hoc loco observanda occurrit distinctio. Si enim fenestræ, vel foramina, vulgo *Schwiebögen* / ex utraque parte ultra dimidium parietis pertingant, pro indiviso, sin ad dimidiam tantum partem, pro diviso communis esse dicitur. *arg. l. 8. & l. 29. ff. d. A. R. D.* (3.) Idem obtinet in fenestris totum murum perforantibus, quod si enim ab una tantum parte talis fenestra reperiatur, murus putatur esse ejus, à cuius parte ea aperitur: quia regulariter non potuisset fieri in muro alieno, nec etiam in communi, *per inferius annotanda. Ang. in l. 13. ff. d. S. P. U. n. 5. & ad L. 39. num. f. ff. d. damn. inf. Paris. Conf. 116. n. 10. Vol. 4. R. P. W. lib. 5. part. 4. tit. 6. §. Item* So in einer *steinern Maur. Ant. Thes. d. Decis. 219. n. 4.* Si vero vicinus ab altera parte etiam habeat fenestras totum murum perforantes, vel aliud aliquod signum æquivalens, murus censetur esse communis pro indiviso, tantum enim operatur signum unum quantum alterum. *Men. d. l. n. 11.* (4.) Quando paries habet inscriptionem, quod fuerit ædificatus ab aliquo vicinorum suo sumptu, his vel similibus verbis: *hoc opus fecit fieri, &c.* tum paries ejus proprius, non autem communis esse præsumitur. *arg. l. 2. §. f. & l. f. ff. d. oper. publ.* (5) Cum in pariete sculpta vel picta sunt alicujus insignia, quæ vulgo arma familiæ dicuntur, ad eum quoque proprietas pertinere creditur. *arg. d. l. 2. & t. t. C. de his qui potent. nom. & ut nemo privet. tit. Menoch. num. 5. & seqq. R. P. W. d. l. §. antepen.* (6) Si parieti inclusi sunt tubuli, *Deuchel* oder *Schläuche* / per quos fumus sursum extra ædes, vel sordes deorsum in cloacam mittuntur, ejus proprietas pertinere creditur ad eum qui tubulos habet *Cap. d. l. num. 14.* nisi aliud aliquod signum in contrarium

rium appareat. *R. P. W. d. l. §. pen. R. P. F. part. 8. t. 8. §. 6. (7)* Indicium aliquod dijudicationi hujus Quæstionis præbent *fistulæ* vel *canales* parieti adhærentes, i.e. quando in pariete aquæductus putei, cisternæ, fontis, balnei, vel similis reperitur, vel quando paries aquareolum vel lavellas habet. *Mascard. d. l. n. 5. R. P. W. d. t. §. und gemeinlich.* Ubi plerumque communem esse hoc casu parietem, asseritur. (8) Constat parietem esse communem, si ab utraque illius parte extant *annuli ferrei*, quibus equi solent alligari; sin ab unâ, proprius est ejus à cuius parte reperiuntur infixi. (9) Signum desumitur ex *trullis* muro infixis, quas *Mascard. & Menoch.* lampades ferreas vel luminaria appellant, in quibus lumen de pice fieri consuevit, vulgò *die Bechpfannen* / nam si ex utraque parte sunt, communis, si ex una, proprius esse præsumitur. (10) In quo pariete habentur *instrumenta ferrea*, supra quibus perticæ ponuntur pro exponendis vel extendendis ad solem vestibus, vel linteaminibus vulgò *Träger oder Druckstangen* / *daran man das Leingewand drucknet oder sonnet* / idque ab utraque parte, communis, sin ab una, proprius æstimandus erit, nec interest, utrum ex ferro, an perforatis lapidibus, an denique ligno per anulum ferreum parieti infixio, instrumenta hæc sint confecta; hoc tamen observando, quod in his & aliis ejuscemodi signis non præcisè requiratur, ut instrumenta reapse muro adhuc sint infixæ, sed sufficiat, si modo foramina, nondum obturata conspectui nostro se præbeant. *arg. l. 6. ibique Dd. ff. d. S. P. U.* (11) probandi modus est, si vel ab utraque, vel alterutra tantum parietis parte, videantur *lapides prominentiores* ad sustinendas vites muro injunctas, vulgò *Krack oder Heffstein* *darein die Belender zu den Weinrâben zu underhalten eingelegt werden.* Et lapides istiusmodi prominentes, non tamen ad sustinendas vites destinatos, vix est, quin in omnibus ferè parietibus ædificiorum contiguorum hîc loci reperire queas, qui communiter *die Râpffer* appellantur, neque non pro certissimo quodam proprietatis, si nihil adsit in contrarium, signo judicantur. (12) Signum *Cæpolla* ex *lapidibus perforatis* deducit, quem sequuntur *Mascard. & Menoch. ll. alleg.* (13) Undique ferè locorum, & cum primis in *Inclyta Argentina* quotidie conspicuum, & valde usitatum est signum, si murus in inferiori parte *crassior*, in superiori verò, uti fieri assolet, *tenuior* existat. (*vid.*

Vitruv. d. lib. 2. c. 8. in not.) vel in totum satis tenuis sit, & tamen pro tutiori ejus sustentatione hinc inde crassities aliqua, quam hic die Pfeiler appellant, relinquatur, tunc enim, versus quem ejusmodi sustentacula respiciunt, ejus esse murus creditur. (14) neque minus usitatum existimatur esse signum, si in supremate muri crassioris, vel super istis prominentibus sustentaculis, auf den Pfeilern/ reperiuntur lateres vel tegulae hamatae vel scutulatae, ad avertendas pluvias appositae, nam versus quam partem sese inclinant, ad eum murus pertinere censetur, gegen wem die Ziegel oder Taschen ableg seyn / oder gegen wem sich die ansatz lenden. *Anton Thes. d. l. n. 4.* (15) Signum est, quando paries contentiosus est conjunctus alteri parieti alicujus proprio, eadem magnitudine & crassitie, tunc enim ejus esse creditur, cujus est non contentiosus, quia partes contentiosas construxisse praesumitur, qui reliquam domus partem, quae contentiosa non est, construi fecit. *Men. n. 18.* (16) *Angusola consil. 16. n. 1. lib. 3.* adducit, dicens: parietem praesumi proprium ejus, qui junctam muro habet suggrundiam, per duo v. g. brachia ultra murum prominentem.

X. Ex his itaque & aliis hujuscemodi signis, quae catervatim à Dd. collecta videri possunt, & ex cujuslibet loci consuetudine desumenda sunt, facile est conjicere utrum paries communis sit, an verò alicujus proprius. *Conf. Br. ad l. 39. ff. d. damn. inf. Ang. l. supr. cit. Cap. d. c. 40.* & ejus interpretes *Pegius Menoch. Mascard. & Dd. eidem citt. Boërius. cons. 5. n. 6. & seqq. Bursat. cons. 57. n. 6. Anton. Thesaur. l. c. Manzius in appendice de muro communi n. 18.* Unde pleraque haec desumta. Qua quidem in re dijudicanda peritorum judicio statatur, quales sunt fabri, murarii, architecti &c. quorum officium eleganter in persona mensoris describit *Aggen. Urbic. ap. Rigalt. in Auth. fin. Reg. his verb. in judicando autem mensor bonum virum, & justum agere debet, nulla admonitione aut sordibus moveri, servare opinionem, & arte & moribus, omnis illi artificij veritas custodienda est, exclusis illis similitudinibus, quibus falsa pro veris subjiciuntur. Quidam enim per imperitiam, quidam per impudentiam peccant. Totum autem hoc judicandi officium, hominem bonum, justum, sobrium, castum, modestum, & artificem egregium exigit. Horum itaque dicto, tanquam in arte sua, praesertim cum Sacramento deponentium, omninò fides habenda est. arg.*

est. arg. l. II. §. I. C. d. Advoc. divers. judicior. l. 20. verb. deponentibus. C. de fid. instrum. N. 7. c. 3. §. 2. inf. l. I. pr. ff. d. Ventr. insp. Cap. d. l. n. 14. Peg. d. l. Thes. Decis. 23. n. 2. quod ipsum in celeberrima Argentinen- sium Rep. ejusdemque judiciis animadvertere licet. Quando- que enim ad ocularem, quam vocant, inspectionem, vul- go zum augenschein pervenitur, semper una cum deputatis utriusque judicii Dnn. Assessoribus, mittuntur, qui inspiciant, primates Architecti, ab Inclyto Magistratu peculiariter ad hoc ordinati, vulgo verordnere Werckmeister dicti, quorum Relatio- ni, Judici in pleno confesso faciendæ, postmodum & statur, & sententia informatur, addita plerumque formula: Ist auff der Depp. Herren und Werckmeistere eingenommenen augenschein und gerhane Relation mit urthel zu recht erkant, &c.

XI. Visis hætenus, & in genere, nec nisi obiter tantum perlustratis signis & indiciis, quibus vel communionis, vel pro- prietatis qualitas parieti annexa probari possit, cum non adeò in aprico res sit, nec omnia quæ hætenus adduximus indicia, omni exceptione majora, non abs re esse duximus, si paulò di- stinctius cum Menoch. d. l. Quæstionem hætenus propositam examinemus; Ita autem distinguit ille: Aut, inquit, adsunt signa his parietibus apponi solita, ad significandum, proprii an verò communes sint: Aut deficiunt quidem signa, alterutro ta- men in possessione existente: Aut denique neque signa, neque quasi possessio unius vel alterius apparent. De primo Dist. mem- bro hucusque vidimus, cum de signis multifariis verba fecimus. Alterum quod attinet, si de quasi possessione unius constet, paries præsumitur illius esse proprius, sicut è contrario communis esse judicatur, si ambo sint in poss. Tertio casu, murus præsumitur communis. arg. l. 19. ff. comm. div. l. pen. ff. pro soc. Quis verò in quasi poss. parietis esse dicatur, non inveniuntè tradit Ruin. cons. 55. n. 1. vol. 4. sc. si quis murum, de quo est controversia, propriis expensis fecerit construi, inque eo fenestras, totum murum pe- netrantes, fieri curaverit, & claves ferreas, totum murum perfo- rantes, immittas in eum habuerit, quæ per illum, atque successo- res suos, tam singulares, quam universales, retentæ sint, & de præsentis retineantur, hi enim actus sunt possessorii, per quos ac- quiritur & probatur possessio, per Br. in l. 1. §. 8. ff. d. itin. act. priv. & licet ab alio vicino fuissent immittas tigna, vel quid super eo



inædificatum, nihilo tamen magis, paries præsumeretur communis; sed debet immittens, siue ædificare volens, probare de jure immittendi, alias injusta diceretur facta immissio, propriaque auctoritate per illum, qui possidet, tolli, vel interdicto *uti possidetis*, conveniri poterit *Ruin. d. conf. n. 5. cum seq.* Unde quæ supra de Immissione tignorum & aliis dicta sunt, non aliter procedunt, quam si ambo vicini sunt in possessione muri, neque constat, quis illorum murum ædificaverit, & sic, quando non apparet magis de jure unius, quam alterius, nam tunc, donec probetur contrarium, potest præsumi, quod murus ab illis communiter possessus, sit communis. *Ruin. & Mascard. ll. citt.*

XII. His ita præmissis, facili nunc negotio demonstrari poterit, quænam probationes pro insufficientibus habeantur, quod enim in *th. 9.* diximus: ex tignorum impositione communionem parietis probari, id verum est, si cætera sint paria, h. e. sicut in *th. preced.* præmonuimus, si uterque in poss. muri sit, neque magis constet de jure unius, quam alterius, secus igitur se res habet, quando de potiori alicujus jure constat, hoc enim casu nihil profus efficit ista tignorum impositio ad communionem. Deinde etiamsi dictam conclusionem ita accipiamus, ut uterque in poss. sit, non tamen exinde putandum est, quod illa tignorum impositio nobis quicquam juris, ratione domini, afferre queat: quod enim ex impositione tignorum murus probari dicitur, id Dd. intellectum volunt de qualitate communionis, videl. an pro indiviso, an pro diviso talis. Quod vero ad hanc *Quest.* attinet, illi murum præsupponunt jam antea comunem, ut, qui in comuni solo ædificatus est, nam quoad Dominium ipsius, hoc non operantur tigna aut alia signa, cum iste non sit concludens Domini probandi modus, neque à Dd. in iis locis, ubi declaratur, quomodo dominium probetur, tradatur, *Vid. Ruin. d. l.* Fallit etiam hæc Conclusio, nec ex impositione tignorum, absolute considerata, comunio probari præcisè potest, si vicinus, cujus proprium fuisse murum constat, à vicino, tignorum, quæ in pariete habet, immissorum gratia, pecuniæ quidpiam acceperit; nam hoc in casu diversimode res ponderanda venit, modo namque ex quantitate pecuniæ comunio, modo etiam servitus tigni immittendi probatur, quod si enim summa pecuniæ sit major, præsumitur

mitur communio alteri concessa esse, pro communione quippe plus consuevit solvi, quam pro servitute, ubi non nisi quod vicini interest, solvendum est. *Cap. & Peg. arg. l. 23. ibi: ex quantitate pecunia. ff. ad Treb. l. 1. ff. d. reb. dub. Manz. num. 38.* Sin autem plane nihil acceperit, & tigna nihilominus immitti passus fuerit, dominus tigni servitutis potius, quam communionis Jus habere creditur, quoniam nuda vicini patientia magis servitutem inducit, quam communionem. *arg. l. 15. §. 1. ff. d. serv. dd. Dd.* Ita quoque non probatur ex hac tignorum immissione, si non sint immissa æqualiter, sed unus à parte sua habeat, quæ totum murum penetrent, alter non nisi ad dimidiam usque muri porrecta teneat, hoc enim casu pro eo, cujus tigna penetrant, proprietas, pro altero jus servitutis inducitur. *R. P. F. l. supr. cit. §. 5. & II. Conf. R. P. W. d. t. 6. §. 5. So aber einer.* Idem est, si ex inspectione muri, in quo ab utraque parte tigna sunt immissa, alia reperiantur, anterioris temporis, alia recentioris: tunc enim pro antiquioribus tignis judicatur, & alter servitutis tantum nomine immissa habere creditur. *R. P. W. d. l. §. 2.*

XIII. Diximus etiam in *th. 9. n. 2.* communionem probari ex impositione & existentia foraminum atque fenestellarum in muro constitutarum; Verum nec hic probandi modus est sufficiens, eo casu, si fenestella, vel simile signum, ex uno latere parietis fieri potuisset, clam ab illo vicino. v.g. si vicina domus aliquo tempore non fuit habitata, nam tunc vicinus commodam occasionem habuit, hæc & alia signa similia apponendi, ac proinde tale foramen non est signum aliquod indubitatum, præsertim si reperiatur incisum, & non prehensum vel fornicatum. *Wann die Löcher oder Blindfenster nur eingespißt oder eingehawen / und nicht in der Mauer eingebunden seyn.* ex *Mench. d. l. n. 12. Manz. n. 6.* Cujus generis controversiam non ita pridem in judicio ventilatam fuisse, nisi nos fallit memoria, arbitramur. Quo certè casu omnis ferè Regula suum perdet officium, & pleraque signa pessum ibunt. Sicut & illud, de quo in *n. 8. d. th. 9.* mentionem fecimus, ex hac ead. ratione *Manzio dict. loc. num. 11.* videtur esse dubium, quia annuli istiusmodi ferrei, facilius clam, nec advertente vicino inferuntur, quam cætera. Quinimo & fenestras clam & incio vicino, non nunquam fuisse constructas,

testis est *Bursatus conf. 58. n. 5. ex Castrens. conf. 134. num. 2. Vers. nec obst. vol. 2.* Ita quoque in *d. th. 9. n. 3. in fin.* notanter addidimus, signum requiri æquivalens, quod alii signo oppositum communionem inducere debeat, quâ ratione nonnunquam unicum duntaxat signum prævalere duobus minus validis posse, adeoque boni viri arbitrio rem relinquendam, asserit *Manz. d. l. n. 28. contra Menoch. d. l. n. 19.* qui pluribus signis deferendum esse statuit.

XIV. Heic nova emergit Quæstio. An si prædicta signa tantum in aliqua parte muri reperiantur, totus paries talis esse dicendus sit? *Resp. aut* murus eodem tempore fuit extructus, & totus talis præsumitur, qualis judicatur illa pars, in qua signa extant, est enim murus unicus, unum autem & idem diverso jure censei non potest, *Capoll. n. 18. Menoch. d. l. aut* temporibus diversis in longitudinem ad aliquot pedes productus, & in hac nova parte muri jus tigni, vel jure communionis, vel jure servitutis, immittendi, cessat: quia hoc quasi novum est ædificium, quod ante non fuit, quare in eo tantum loco, nec alio, quam in quo tigna sunt immissa, communis est, vel servitutem debet. Unde quoque possumus dignoscere, utrum murus pluribus communis sit, nam si uno & eodem tempore in longius productus est, in totum communis est omnibus, penes illum ædificia tenentibus, sin autem diverso, in eo tantum loco communis est, in quo tigna vel alia signa reperiuntur. *Cap. & Peg. loc. cit.*

XV. Quod de pariete in longitudinem producto, Idem etiam de eo, qui uno, vel diverso tempore altius ædificatus est, judicium esto. *dd. Dd.* Novum enim non est, murum, aliquem pro parte inferiori communem, pro superiori proprium, & alteri servientem existere præcipuè in hac civitate. Ubi non raro reperiuntur: die von unden her dick / und zu beeden seiten mit Blindlöchern oder andern zeichen versehen / bis erwan an die helffe der Maur oder drüber / allwo es hernach einen absatz gibe / und die Maur dünner wird / und sich bis an den gipffel des Hauses erstrecket / und dem eigenthumlich zugehöret / dessen Last darauff ruhet. Cujus rei exemplum in Inclyto Senatu minori hujus loci contigisse, memoriæ nondum excidit, ubi ex camino, qui ab inferiori parte parieti affixus est, concurrentibus ab alia parte signis aliis, apparebat communio parietis inferioris, in parte verò superiori non amplius communionis, sed servitutis jure

tis jure caminus iste habebatur. Ita quidem ut ob metum incendiū murique tenuitatem, vel cautio damni infecti, vel sublatio ipsius camini peteretur, Controversia tamen amicabili tandem compositione sopita. Concordat, *Stat. Francof. d. l. S. und nemlich.*

XVI. *Causam Materialem* justo & legitimo excipit ordine *formalis*, quæ evolvitur, inquirendo in juris hujus qualitatem, quando quæritur: Quale nam illud sit, personale, an verò Reale; & si reale, ad quamnam speciem Jurium in re referri, & quomodo ab aliis Juribus distingui debeat. Prius quod attinet, nemo, quod opinor, inficiabitur, illud prout constitutum jam est, & quatenus à nobis hic accipitur, ad nullam speciem jurium ad rem, sive Obligationum referri posse, quia obligatio omnis principaliter afficit personam, eiq; necessitatem imponit, ad aliquid præstandum, ita tamen, ut ipsa res nondum sit devincta & obnoxia: obligatio enim non facit corpus aliquod nostrum, sed personam tantum adstringit, ad aliquid dandum, vel faciendum, vel præstandum, perhibente *Paulo in l. 3. ff. d. O. & A. Hoc autem Jus principaliter afficit rem, h. e. ipsum parietem, qui & quatenus communis est, non nisi per consequentiam vero, & ex ipso suo facto persona socii vel vicini convenitur, dum quid fieri, vel non fieri in pariete communi, ad quod tamen ipse jam ante destinatus erat, (de qua destinatione aliquam multa collegere Dd. Bursatus. d. conf. 57. n. 7. & seqq. conf. 58. n. 4. Thesaur. decis. 41. n. f.) recusat; in quo cum situs sit character Jurium in re cum consequens est *Jus parietis communis esse aliquod Jus Reale.* Verum enim vero cum *Jus in re sit quadruplex: Dominium, servitus, possessio & pignus;* non immerito secundo loco quæritur: ad quamnam horum 4. Jurium in re speciem referri, & à quibus distingui debeat? Quoniam igitur quivis sociorum proprietatem habet in pariete, (nam suum quisque potest dicere, quod cum alio commune habet. *l. 46. ff. d. R. N. l. 74. d. leg. 3. l. 25. l. 58. l. 239. S. fin. ibique Goth. ff. d. V. S.*) nemo non primo statim intuitu perspicere potest, *Jus hoc omnino debere referri ad dominium, quod nihil aliud est, quam Jus, quo res corporalis est nostra, id est, nobis propria. Bicc. & Suth. dd. ll. his enim verbis, domini scilicet & proprietatis, promiscuè utuntur J Consulti l. 35. & seq. ff. d. A. R. D.**

Unde

Unde obvium est (1) Jus hoc ad servitutem referri non posse, cum nemini res sua servire queat. *l. 26. ff. d. S. P. U. l. 33. ff. d. S. P. R. leg. 5. princ. ff. si Ususfr. pet.* (2.) Deinde à possessione differt eatenus, quatenus dominium & possessio, cujusmodi differentias satis copioso numero adducunt Dd. *Vid. Conn. lib. 3. cap. 3. n. 1. Calvin. Lex. Jurid. p. 292.* præsertim à possessione differt eò, quod possessio proprie sit detentio quædam rei, quæ nostra non est, sed quam aut putamus esse, aut debere esse nostram. Cui adstipulatur Favolenus in *l. 115. ff. d. V. S.* qui, *possessio*, inquit, *ab agro juris proprietate distat: quicquid enim apprehendimus, cujus proprietatis ad nos non pertinet, nec pertinere potest, possessionem appellamus.* Unde *Conn. d. l. 3. c. 7. n. 2.* ait: *qui fundum suum possidet, Dominus potius appellatur, quam possessor, quoniam fructus omnes, quos de fundo suo percipit, pars sunt Domini, eosque jure domini, non autoritate possessoris percipit. & paulo post: Ideo neque quenquam appellamus possessorem fundi sui, sed dominum, Contra vocamus eum possessorem qui alienis nullo jure utitur, fruiturque.* Jus autem de quo nos agimus, constitutum esse in re propria, ex antedictis patescit. (III.) Denique nec ad pignus referri posse certum est, quia *pignus est Jus constitutum in re debitoris ob securitatem crediti; Necessario igitur pignus, ceu accessorium aliquod præsupponit suum principale, quod est debitum; Jus vero communis parietis est Jus quoddam per se subsistens.*

XVII. *Causam Efficientem* hujus Juris nostri constituimus *consensum & conventionem*, quæ inter utrumque vicinorum intercessit, de pariete inter se communicando; idque *Vel expressè, cum unusquisque eorum certam fundi portionem in medium confert, ut super ea paries communis extruatur. l. 52. §. 13. ff. pro soc. vel tacitè veluti jam supr. in th. 7. subindicavimus.* Non incongrua huic loco est *Quæstio*, quibusmodis Jus hoc constituitur? *An paries ex eo fiat communis, si, citra conventionem expressam de ineunda communione ad adificationem parietis, alter vicinorum partem sumptuum suppeditet? Paris. Conf. 116. n. 9. Vol. 4. Resp. quod sic, ex ea procul dubio ratione, quod & tacito consensu, re nempe in præfenti constituta, actuque ipso in commune redacta, societas contrahi dicatur in l. 4. ibi: re. ff. pro soc. quo nihil innuitur aliud, quam statim inter tractandum, rebus in commune collatis comi posse,*

posse, non quod prorsus nulla verba interveniant, sed quod interveniant quidem, nulla tamen facta ineundæ societatis mentione, utpote quæ ex ipso facto rerum statim collatarum satis colligitur. *Vid. Franzk. comm. ad t. pro soc. n. 5.* Idem igitur ex tacita pecuniæ ad ædificandum collatione, quoad inducendum Jus Parietis communis colligere licebit. Ulterius Quæritur: *Utrum is, qui duas habet domos, inter quas paries est medius, alterutras ex hisce duabus vendendo, medium istum parietem sibi cum Emptore communem faciat?* Ad quod Affirmativè respondere non dubitamus. *arg. l. 4. ff. d. serv. leg. ibique Goth.* Quod si enim is, qui duas habens ædes, unas mihi, alteras tibi legavit, medium parietem, utrasque domos discernentem perinde communem reddit, atque si solus paries duobus communiter legatus esset, non video, quin si ipse retineat alteras, & alteras vendat, ex identitate rationis, idem dici & possit & debeat, nam ipse venditor supplet locum secundi legatarii. *Facit l. 36. ibiq. Gl. ff. d. serv. P. U.*

XVIII. *Causa Finalis* ex proposito & intentione constituentis, acquirentis & vindicantis jus hoc in pariete vicini, desumitur, quæ principaliter eo videtur collimare, ut salvas & incolumes quocunque in casu conservaret ædes, easque ab omni injuria, quantum quidem posset, defenderet.

XIX. Ex serie signorum, quibus vel communionem, vel proprietatem parietis probari, per integram *th. 9.* adduximus facilis erit dijudicatio *Effectuum* ex hoc Jure descendentium, quandocunque enim quoddam prædictorum signorum in pariete apparet, statim ratiocinamur, eum qui hoc imposuit, Jus illud imponendi habuisse. *Mascard. d. Concl. 1144. cum nihil rei alienæ licitum sit imponere.* Hac in re, ut aliquanto felicius procedamus; dispescimus *Effectus* in primos & à primis ortos.

XX. *Primi* absolvuntur duabus hisce Quæstionibus: *Quidnam cuique sociorum in pariete communi facere liceat?* Et deinde: *Quid non liceat?* Præsuppositis itaque hanc in rem duabus *Regulis*, quæ desumuntur ex *l. 13. ff. d. S. P. U. & l. 19. eod.* quarum prima est: *Quotiens damnum vel parieti, vel socio ex actu aliquo imminet, totiens actus iste est illicitus, & à vicino prohiberi potest;* Altera vero: *Quotiens id, quod in pariete sit, socium non ledit ullo modo, sed toti societati prodest, (saltem quantum ad ornatum) totiens & indistinctè socio etiam*

C

cio etiam

B.

cio etiam invito id fieri potest. Ang. in l. 39. num. 8. ff. d. damn. inf.
Sequentes extruimus Conclusiones.

XXI. Prima est: quod Regulariter non liceat vicino tignum immittere in parietem communem, quia in re communi potior est conditio prohibentis. l. 28. ff. comm. div. cap. 56. d. R. l. in 6. l. II. in f. ff. si serv. vind. Et quia per hanc tignorum immissionem & parieti, & vicino damnum infertur. arg. d. l. 13. & 19. quoniam tamen multas hæc Regula pateretur Exceptiones, hinc non improbabiler forte distinguimus cum Cap. cap. 30. num. 4. Aut enim, inquit, tigna jam ante erant immissa, aut de novo immittenda veniunt. Priori casu dubium non est, quin in priorum locum supponi possint alia, quia surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur. arg. l. 10. §. 2. ff. si quis caut. in jud. sist. caus. l. 20. pr. junct. l. 33. in f. ff. d. S. P. U. Ang. in l. 13. ff. d. t. Peg. d. t. 30. §. Jedoch wird hierinn. Et in materia servitutis tigni immittendi. vid. Stat. Arg. tit. von Gebäw. ibi: Ist aber ein Mur eins gar / und ist innen halb darumb gebuwen / so soll jener nit mehr darinn buwen / dann in dieselben Löcher. ultra enim ea, quæ ante immissa erant, de novo immittere non permittitur. l. 14. pr. ff. si serv. vind. R. P. F. part. 8. tit. 4. §. 2. & 3. Posteriori Capolla subdistinguit: quod aut ab initio paries ad hoc ipsum communiter quæsitus sit, ut sustineat onera utriusque ædificii, & potest socius altero invito immittere. vig. l. 12 ff. Com. div. aut non ita quidem quæsitus, destinatus tamen ad sustentandum onera utriusque, tunc, si per immissionem tignorum nec parieti, eo quod fortè satis aptus est, nec ipsi vicino noceatur, idem dicendum erit. d. l. 12. vid. omnino. l. 52. §. 13. ff. pro soc. ubi expresse actio pro socio adversus eum conceditur, qui immitti in parietem ad onera utriusque ædificii sustinenda communiter ædificatum recusat, quo sensu accipi debet Consuetudo Bituricens. ap. Bojer. d. Serv. Real. art. 193. his verbis: En mur mectoyen & commun chascune des parties peut percer tout oultre le dit mur pour y mettre, & assoir ses poutres, ou solives, ou autre bois en rebuchant ses perzuis. Secus si vel parieti vel vicino quicquam nocementi inferretur, adeo quidem, ut si de facto tignum immittere præsumserit, vel aliud quidvis imponere tentaverit, vel propria auctoritate rem perdere, quæ immissa fuit, liceat, vel alter
actione

actione Negatoria convenire queat *per text. expr. in l. 27. pr. ff. d. S. P. U. l. 14. §. f. & l. 17. ff. si serv. vind. l. 29. §. 1. ff. ad l. Aquil.* quamvis negari non possit, melius sibi consulere, qui loco authoritatis propriæ, officium Judicis nobile implorat, nisi de facili judicis copia haberi non possit, damnumque exinde emergens admodum grave sit. *Theaur. decis. 41. n. 17.*

XXII. (II.) Concludimus, quod socio juxta parietem communem tubulos habere non liceat. *d. l. 13. in pr. d. S. P. U.* sive sint tales tubuli, per quos aqua ducitur (nam fistulam junctam parieti communi, quæ aut ex castello, aut ex cælo aquam capit, non jure haberi *Proculus ait. in l. 19. pr. ff. d. t.*) sive tubuli fumarii, per quos fumus per caminum emittitur. *d. l. 13. pr. ratio quia per eos flammâ torretur paries, nimioque aquarum discursu corrumpitur. arg. dd. ll. Ang. ad l. 39. d. damn. inf. Cap. c. 67. n. 6. & Anton. Thes. Decis. 115. n. 4.*

XXIII. (III.) Infertur, multo minus ignem juxta parietem communem facere licere, quod si enim tubuli fumarii non tolerantur, quia torretur paries, quanto minus ipse ignis licitus erit & tolerabilis, cum multo magis per ignem, quam per tubulos extorreatur. *arg. d. l. 13. Limitatur tamen hoc à Cepoll. lib. 2. c. 46. num. 1. ut ignis fieri possit, si sit modicus, murusque in eam crassitiem extensus, ut nullum profus damnum vel metui, vel imminere parieti posset. arg. l. 19. d. S. P. U. l. 27. §. 10. ff. ad l. Aquil.* Et de muro crassissimo dicit *Ang. ad d. l. 13. quod & ignem maximum juxta illum habere liceat.* Caminum tamen quivis sociorum in pariete communi facere potest, ita quidem, ut si pro diviso communis sit, cavare murum usque ad dimidiam possit, quia eousque durat pars ejus. Quale exemplum parietis pro diviso communis, & camini usque ad medietatem illius extensi, habemus in ædibus *Serenissimi Principis nostri*, quas hic habet, vulgo *der Marggräfische Hoff* dictis. Sin pro indiviso, tunc cavatura etiam ultra dimidium fieri potest, quia in omni parte muri dicitur laborare in re communi, habet enim quilibet portionem, in qualibet particula pro indiviso *Gl. in l. 14. C. fam. ercisc. nisi paries cavaturam pati non possit. arg. l. 24. ff. d. S. P. U. vel nisi alter socius velit, quod facere potest, (videmus enim quemlibet sociorum in pariete com-*

muni à parte sua habere caminum. *Ang. ad d. l. 13. n. 7.*) ab altera parte sua facere caminum, vel denique, nisi murus sit ita debilis, ut etiam temperatum ignem faciendo torreretur, socioque damnum fieret *d. l. 13. ibique Gl. & Dd. in verb. non licet. Cap. c. 64. num. 8. Conf. consuetud. Bituricens. art. 195. ibi : En mur mectoyen le premier, qu'asiet ses cheminées, l'autre ne les luy peut faire oster, ne reculer, en laissant la moitié du mur, ou un chantille pour contrefeu, penetrare autem ad fulcra camini, pilasque ac femora configenda, parietem potest. Bojer. d. l. vid. R. P. W. d. l. tit. 7. §. 4.*

XXIV. (IV.) Negamus ulli sociorum concessum esse construere furnum vel fornacem penes parietem communem, *arg. d. l. 13. & l. 19. de S. P. U. & l. 28. ff. comm. div. c. 56. d. R. J. in 6. nisi unius vel duorum pedum spacium inter parietem communem relinquat per l. fin. ff. fin. Reg. Gl. in d. l. 13. in vers. ad parietem. Consuetudo tamen Bituricens. non nisi dimidium pedem requirit inter furnum & parietem relinquendum d. l. art. 199. his verbis : Entre ung four & mur mectoyen doit auoir demy pied d'espace vuyde pour eviter le danger de la chaleur, & l'inconuenient du feu. Conf. R. P. W. d. t. 7. §. f. Commodè hic quæri potest : si Titius furnum juxta parietem communem, eo, quo diximus modo, habeat, & damnum det parieti, vel certe verisimiliter dare possit, an & qua actione à Mævio vicino conveniri possit? Resp. si damnum datum est, agendum *ex c. 3. L. Aquilia. vid. l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil. ubi nominatim istius damni, quod per combustionem contingit, mentio fit. Conf. §. 10. d. l. & l. 24. §. 7. ff. d. damn. inf. Si damnum datum non sit, sed ita Titius ignem habeat, ut metuat Mævius, ne sibi damnum detur, potest agere ad cautionem de damno infecto. Cap. c. 50. per d. §. 10. inf.**

XXV. Ita (V.) nemo sociorum invito altero in pariete communi fenestram facere potest, totum murum penetrantem, *l. 40. ff. d. S. P. U. Ratio, quia per eum mutatur facies parietis, debilitatur, & socio nocetur. Br. in l. 8. C. d. Serv. arg. l. 4. l. 40. ff. d. t. vid. Carpz. 1. F. lib. 2. const. 41. Def. 12. num. 10. Paris. Conf. 63. num. 3. Vol. 1. Et si de facto fenestra sit confecta, debet recludi, nec facienti sufficit, socio obtulisse refusionem damni & interesse, uti cum *Ang. in l. 26. ff. d. S. P. U. statuit Paris. d. l. n. 4. quod verum est in pariete pro indiviso**

viso communi: nam qui pro diviso talis est, sicut ad dimidiam usque altius elevari murus potest, ita ædificato fenestra imponi poterit. Fortasse tamen referre potest, an vicino per fenestram hanc nocenti quidpiam inferatur, puta, quod in ædes suas vel de præsentis, vel de futuro introspicere quis possit, hoc enim casu valebit Reg. l. 28. ff. Commun. div. arg. d. l. 13. & 19. d. S. P. U. Nam præsumeretur illud fieri ad æmulationem vicini, cujus valde interest, ne arcana ejus detegantur, utque domi suæ secreto habitet, neve familiarem victum suum alienis oculis committat: Nam plurimi

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

Itaque Plut. in lib. de Curiositate monet, ut si quando præterimus fores alienas, ne introspeciamus, neque oculos tanquam manus, in ea, quæ intus sunt, injiciamus, nihil enim authore Xenocrate, referre, oculos ne, an pedes inferamus in alienum. Hoc igitur casu nequidem in proprio pariete fenestra ad alterius æmulationem fieri potest. Dd. commun. in l. 8. C. d. Servit. Ubi Cynus. ait: Si quis prope Monasterium haberet ædes proprias, & is murum suum altius ædificare vellet, ut fenestris per eum apertis, secreta eorum videre posset, nullatenus id ei permittendum esse. Idem Masc. prob. Vol. 2. Concl. 620. num. 9. dicit: si quis parietem vel fundum juxta domum virginum & monialium haberet constitutum, suumque parietem altius elevare præsumeret, id ad æmulationem fieri & inhonestatem, ut Moniales Religiosas aut virgines videret. Conf. Gail. 2. Obs. 69. n. 26. An autem claudere fenestram communiter factam, permissum sit? tradit Ang. in d. l. 29. ff. d. damn. inf. & in d. l. 13. d. S. P. U. In Affirmativam proclive est Statut. Arg. d. l. ibi: Ist ein Mur gemein / do Fenster durch gondi / welcher dann will / der mag die Fenster wol vermuren uff seinen halben theil der Mure / er hab sich dann verschrieben oder verbunden mit Brieffen oder mit Leuthen / daß Eres nicht thun solle.

XXVI. Neque (VI.) in pariete communi construi Necessarium vel Cloaca potest: per sæpe dictam rationem, & quia parieti non potest non damnum aliquod & corruptio per istiusmodi sordes, vicino vero per fœtum istum intolerabilem summa inferri molestia & incommodum. arg. d. l. 13. & 19. R. P. W. d. lib. 5. part. 4. tit. 5. §. Gleicher weise. Ob quam putredinem & incommodum exinde oriundum adeo sollicitum

tum est *Statutum Argent.* ut & trium pedum spatium, inter cellam alterius, & necessarium suum, ædificantem jubeat relinquere. *ibi*: Wo ein Keller ist/und will sin Nachbar ein Prophey machen/der soll des Grund drey Schuh dick darzwischen lassen/ist echt der Grund gut / ist aber der Grund nit gut / soll Er ihn mit gutem Leymen verschlagen.. Cæterum si aliud inter socios convenerit, vel cesset istiusmodi incommodum, ob muri forte crassitiem insignem, vel consuetudo loci, quæ in his rebus diligenter observanda, aliud suadeat, necessarium fieri posse non negamus, per ea quæ habet. *Cap. in t. d. Necess.*

XXVII. Ex sæpe dictis rationibus apparet (VII.) quod nemo sociorum, altero invito, servitute parieti communi imponere possit. *l. 2. ff. d. S. P. U. l. 11. ff. d. S. P. R. l. 33. pr. eod. l. 5. in f. ff. commun. prædior. Vid. Wesf. ad t. d. Servit. n. 9. Paris. Conf. 63. n. 7. per l. 28. ff. Commun. Div. alter enim ex sociis non consensit. Ergo nec iniqua conditio per alterum ei debet inferri, per l. 74. ff. d. R. J. nec concessio hæc in ejus præjudicium ullo modo vergere potest; non enim debet nocere factum alterius ei, qui nihil fecit, l. 5. §. 5. in f. ff. d. novi op. nunc. arg. l. fin. ff. d. Sct. Silan. l. 2. §. 1. ff. si quis aliq. test. prohib. l. 1. pr. ff. d. alien. judic. mut. ca. l. 6. §. fin. C. unde vi. quare valebit quidem servitus respectu imponentis, ut v. g. ipsi altius elevare murum non sit permissum, non tamen valebit respectu socii alterius, sed ipsi, altius tollendi parietem, omnino facultas erit, per d. l. 11. sed si quis non socius tantum respectu parietis, verum Dominus quoque insolidum existat respectu domus, in qua paries talis habetur, qui cum alio vicino communis sit, dominus autem tertio alicui in domo sua servitute constituat, Quæritur: an hoc pacto etiam parieti imposita censeatur? Resp. *Ang. in l. 25. §. 1. ff. d. S. P. U.* quod sic: Ratio quia transit cum universitate, quo casu multa fieri & transire possunt, quæ alias nec fieri nec transire possent. *arg. l. 24. ff. d. contr. Empt.* Servitus autem hoc modo imposita domui, non nocebit alteri, qui specialiter socius est respectu parietis, quo minus possit altius tollere, qui casus continetur in d. l. 25. §. 1. *Conf. ll. supr. cit. Cap. c. 40. num. 21.* Sed quæso! An non sufficit, alterum ex sociis præsentem esse, nec ignarum servitutis, per alterum parieti impositæ, an vero expressus*

pressus ipsius consensus præcisè requiritur? Posterius. *Aff. per l. 5. ff. d. S. P. U.*

XXVIII. Hinc patet (VIII.) quid sentiendum sit de illa Quæstione: *An unus ex socijs in communi loco vel pariete, invito altero, jure ædificare possit?* quam movet ipse *J. Ct. Marcellus in l. 11. ff. d. si serv. vind.* & in sua Decisione subscribit Negativæ, dicens: prohibendi potius, quam faciendi jus socio competere: quia magis ille qui facere conatur, quodammodo sibi alienum quoque jus præripit, si quasi solus Dominus, ad suum arbitrium uti jure communi velit. *fac. l. 28. ff. comm. div.* ubi nemo Dominorum in re communi quicquam facere invito altero, posse dicitur, in re enim pari potioem esse causam prohibentis, constat. *Conf. l. 27. §. fin. ff. d. S. P. U.* Ubi paries communis ab uno ex socijs altius sublatus jure haberi dicitur: Ad hanc itaque *ἀντινομιαν* conciliandam, quam maxime facit illa, quam *supr. in thes. 9. princ.* laudavimus, distinctio. *Ant* enim paries pro indiviso communis est, aut pro diviso; si pro indiviso, neque tollere altius neque ædificare licebit, quo pertinent *ll.* superius adductæ, vel si de facto ædificatum fuerit, ædificatum certè non ædificantis proprium, sed commune erit dicendum. *arg. l. 35. cum seqq. ff. d. damn. inf. Thes. Decis. 41. num. 7. & decis. 23. num. 2. inf. ibique cit. Dd.* & hoc etiam rationis est, censetur enim quodammodo ædificare in loco alieno, *arg. d. l. 11. inf. ff. si serv. vind.* Jam verò, qui in alieno solo, quamvis ex sua materia, sciens ædificaverit, ædificium facit ejus, cujus & solum est, materia que dominus proprietatem ejus amittit. *l. 7. §. 12. ff. d. A. R. D. §. 31. J. d. R. D. l. 28. ff. d. t. & ædificium superius cedit parieti inferiori. l. 2. & l. 16. C. d. R. V.* quod si ea conditione ædificare vult, ut ædificium commune fiat, non videtur prohiberi posse. *vid. Boër. conf. 5. num. 25.* concordat etiam *Stat. Arg. d. tit. ibi Ist ein Mur gemein / und will einer bauen under don zweyen / welcher der ist / der mag die Mur höher führen / und gar begriffen ohn jenes schaden / und soll doch die Mur gemein seyn.* Utique si satis aptus fuerit oneribus ferendis. *d. l. 35. & seqq. d. damn. inf. l. 24. ff. d. S. P. U.* nam si paries non fuerit aptus, aut damnum sensurus sit alter, ejusq; qui ædificat, nihil intersit, observatur *Regula, l. 11. ff. si serv. vind. l. 25. §. 1.*



*l. 25. §. 1. l. 27. ff. d. S. P. U. arg. l. 13. & 19. d. t. Br. in d. l. 13. Thes. decis. 41. num. 15. Boër. d. l. num. 24. & seqq. Bursat. conf. 57. num. 9. add. Coras. lib. 3. Misc. 24. num. 5. Ludvv. Ex. 5. th. 6. lit. 1. nam animo nocendi vicino, & ad ejus æmulationem ne in suo quidem ædificare permittitur, quia malitiis hominum non est indulgendum. l. 38. ff. d. R. V. l. 3. ff. d. oper. pub. l. 1. §. 12. ff. d. aq. & aq. plu. arcend. Carpzov. Jurisprud. Forens. part. 2. constit. 41. def. 11. & seq. in pr. Quando verò ad æmulationem alterius quid fieri præsumatur latius deductum, vide apud Mascard. de prob. vol. 2. concl. 620. Bursat. conf. 57. num. 14. cit. à Thes. d. l. n. 10. Sed si pro diviso sit communis, quia quilibet habet mediam muri partem, usque ad medietatem crassitie, ita ut propriè non sit communio, quilibet in sua dimidia parte poterit ædificare, atque tigna immittere, de quo casu accipienda est *d. l. 25. §. 1. ff. d. S. P. U.* non enim videtur amplius ædificare in alieno, sed in suo, neque partem vicini contingit, qua ratione nemo arceri potest, etiam in infinitum usque ædes extollere. *l. 1. pr. inf. l. 24. ff. d. S. P. U. l. fin. §. fin. ff. quod vi. l. 8. C. d. servit.**

XXIX. Illud autem maximam semper creare solet controversiam. Cujusnam expensis altius ædificari debeat. An utriusque, an verò solius ædificantis. Et certè, si murus sit communis pro indiviso, quia uti dictum est, id quod ei super est impositum, commune sit, non proprium, hinc quoque repetere expensas à socio non poterit, si murum communem esse sciverit. *per l. 5. C. d. edific. priv. arg. l. 7. §. 12. ff. d. A. R. D. §. 31. ff. d. R. D.* Sua namque voluntate impensas fecisse & quasi alienasse creditur. *arg. dd. ll. idemque juris est de toto, quoad totum, quod de parte quoad partem, & vicissim. arg. l. 76. ff. d. R. V.* Et hæc quidem obtinent, si ab initio expensas sumptusque repetere quis velit. Secus autem se res habet ex postfacto, quando scil. postquam unus super ædificavit, alter itidem ædificare velit, vel si prior murum duntaxat altius elevavit, alter vero imponere aliquid muro sic elevato velit, tunc enim non prius vel imponere quidpiam, vel superædificare poterit, quam dimidiam sumptuum partem priori tollenti vel ædificanti solverit: nam qui imponere tigna vult muro altius elevato, vel iterum altius tollere,

lere,

lere, censetur approbare negotium, à socio utiliter gestum
*arg. l. 27. pr. in f. ff. d. neg. gest. l. 6. pr. l. 38. & utrobique not. per
 Gl. & Dd. ff. eod. Conf. R. P. W. d. t. 5. §. So ein Mauer gemein.
 Et §. fin. ubi quid in casu dubio sentiendum sit, constitutum
 est. R. P. F. d. part. 8. tit. 4. §. pen. Neque referre puto, in to-
 to pariete, an in parte tantum illius alter ædificare velit, nam
 & hic indistinctè dimidiam partem expensarum totius muri
 socio solvere necesse habet, quia qui partem muri tetigit,
 totum tetigisse videtur, *arg. l. 21. ff. d. furt. & caus. 32. q. 2. c. vul-
 garis. cum ibi not. per Gl. & l. 3. in pr. cum ibi not. ff. d. A. vel A. P. Ca-
 poll. d. l. num. 31. Peg. §. pen. Juxta parietem communem quin
 liceat ædificare dubium non est. An vero præcise l. ult. ff.
 Fin. Reg. duorum pedum spacium inter utrumque sit relinquen-
 dum, de hoc disputant Dd. quamvis Negativa, cui subscribit
 Thes. cum Dd. alleg. in Decis. 115. per tot. verior, vel certe quoti-
 diano usui & experientiae convenientior videatur. An vero
 infra eum ædificare liceat? Affirm. vid. Thes. d. Decis. 41. num. 10.
 quod fit, si quis vellet conficere penum subterraneam, sub
 consueta tamen limitatione, nisi structura ista subterranea vel
 parieti, vel vicino noceat. An denique id quod de facto su-
 per ædificatum est, iterum debeat destrui, vel damnum re-
 fundi? Vid. Distinct. l. 28. ibique Goth. ff. Comm. Div. Manz. d. l. num.
 64. & seqq.**

XXX. Effectus, ad Regulam Negativam pertinentes, se-
 quuntur ij, qui ad affirmativam commode referri possunt (i.) ita-
 que permissum est socio, ruinofum parietem, socio etiam invi-
 to, reficere, per *text. expr. in l. 52. §. 13. ff. pro soc. l. 12. ff. Comm. div.
 non obst. l. 8. ff. d. S. P. U. Conf. R. P. F. d. t. 4. §. 1.* Ita tamen, ut
 concurrente utroque in refectioe, præferatur is, qui magis
 idoneè reficere velit. *l. 41. ibique. Ang. ff. d. damn. inf. Ferrariens.
 in tit. pro hered. vel re sing. §. & in futurum. num. 3. Peckius ad c. 56. d.
 R. J. in 6.* Ratione tamen Expensarum res non procedit indi-
 stinctè. Aut enim quis suis refecit sumptibus, nomine proprio,
 aut nomine communi. Si communi, & refectio sit necessaria
 certum est, quod socius dimidium expensarum à socio recu-
 perare queat. *l. 32. ff. d. damn. infect. l. 4. C. d. adif. priv.* nam si
 socius sit contumax in refundendis expensis, reficiens usque

D

ad 4.

ad 4. menses, sumptus repetere potest, cum usuris centifimis, d. l. 4. quibus elapsis, si necdum fuerint solutæ, reficiens consequitur Jus domini in ipsa re, quam suis sumptibus refecit d. l. 4. l. 52. §. 10. ff. pro soc. Sed si malit suum consequi, quam dominium habere rei, poterit pro socio agere, ad hoc ut consequatur, quod sua interest. d. §. 10. Si verò proprio nomine gesserit, non tanquam socius, & eo animo fecerit, ut partem socii occuparet, nullas recuperat expensas propter improbum, quod suscepit, consilium. l. 5. C. d. edific. priv. Cum enim ea ædificia, quæ in alieno loco (idem est in eo, qui pro indiviso communis est, per superius adducta) imponuntur, solo cedant, ideo nec impensæ improbis illis resectoribus restitui debent. dict. l. 5. vid. Joh. Gars. Gallec. tract. d. Expens. & Meliorat. c. 19. n. 10. ubi hanc limitationem subnectit: quod, si impensæ fuerint necessariae, sine quibus murus conservari nequiverit, æquius sit, ut has sibi conservare possit; quas malæ fidei possessor conservat per l. 5. C. d. R. V. Secus si impensæ solum fuerint utiles, sociumque oneraturæ. l. 10. §. 1. inf. ff. d. neg. gest. l. 27. pr. ff. eod. d. l. 5. C. d. edific. priv. fac. d. §. 31. J. d. R. D. l. 6. §. f. ff. commun. Div. nisi & his impensis frui velit socius, quia hoc in casu ipse aliàs facturus fuisse videtur. arg. l. 38. ff. d. R. V. De cætero si ex hac refectione damni quid, nomine ædificii proprii, timeatur, socius cautionem damni infecti à socio petere potest. l. 28. ibique Gl. l. 39. pr. ff. d. damn. inf. ibique Br.

XXXI. Incidit hic alia Quæstio de pariete collapso restaurando, quæ nuper admodum in supra laudato Senatu minori Inclytæ hujus Reipub. ventilata fuit, scilicet: Murus erat exiguæ altitudinis, qui portando alterius oneri de facto quidem inserviebat, ab altera vero parte ædificium quidem haud erat positum: apparebant tamen signa communicationem muri indicantia. Onus, ab altera parte impositum, subito collapsum, murum in totum confregit, soloque æquavit, quo facto, cum vicinûs coram dicto Judicio conveniretur, primo negavit, parietem ulla ratione vel esse, vel unquam fuisse communem, hoc autem ab altera parte per testes probato, facile quidem in hoc puncto cessit, sed postea parietem utpote communem, per modum Reconventionis, communibus expensis

expensis reparandum postulavit, negavit alter. Quærebatur quid Juris? Respondebatur hunc in modum. Erfant: Soll Beklagter die gemeine / mit dem eingefallenen Stall / umbgeriffene Scheid. Maur / zwischen dem N. N. und N. N. wiederumb uff seinen Kosten uffrichten / und in vorigen Stand zustellen / hernach aber in gemeinem Kosten zu underhalten schuldig seyn. Wie wir daua &c.

XXXII. (II.) Balneum in muro communi facere invito socio licet, dummodo ex eo non lædatur paries. *dict. l. 19. ff. d. s. p. u.* Unde licet humorem capiat, nihil interest. Quod si tamen ex flamma balnei exuratur, vel si talis sit usus tepidarii, ut assiduum humorem habeat, idque vicino noceat, nihil impedit, quo minus socius prohiberi possit. *dict. l. 19. in f. pr. arg. l. 27. §. 10. ff. ad L. Aquil.*

(III.) Unus ex sociis parietem incrustare, atque picturis exornare potest. *dict. l. 13. §. fin. ff. d. s. p. u.* Ubi tamen notandum, quod, si fortè vicinus postea demoliatur parietem, & ex stipulatu actione damni infecti, conveniatur, preciosissimæ quamvis istiusmodi picturæ non pluris æstimari debeant quam vulgaria tectoria. *dict. §. fin.*

(IV.) Unus sociorum murum cooperire potest, nisi hoc vicino sit damnosum. *arg. dd. ll.* (V.) Licet habere cameram ex opere figulino factam, juxta communem parietem, dummodo ei non incumbat, & ita retineatur, ut etiam sublato pariete maneat, nec impediatur refectio parietis, verba sunt, *d. l. 19. §. 1.*

(VI.) Permissum est habere scalas communi parieti admotas; ratio, quia removeri possunt, *dict. l. 19. §. fin. ibique Ang. Capoll. t. d. scalis.* ubi varias limitationes & ampliationes recenset. Hæc & quæ ejus generis sunt alia, quæis neque parieti neque vicino damnum inferri potest, in communi pariete facere licet. Videamus nunc brevibus *Effectus ortos, i. e. actiones ex jure nostro descendentes.*

XXXIII. *Actiones & Remedia pro jure suo in communi pariete vindicando, cuius sociorum competentia, vel in personam sunt, vel in rem, vel denique mixta.*

XXXIV. Inter Personales primo loco eminet, *actio ex stipulatu in genere, quæ competit, quando mutua stipulatione vicini*

ne vicini parietem inter se voluerunt esse communem, ad hoc, ut præstet reus, quæ conventa sunt, vel condemnationem in id, quod interest, patiatur, l. 75. §. 1. ff. d. V. O. l. 13. §. fin. ff. d. Re jud. (II.) Actio ex stipulatu specialis, quæ est damni infecti. vid. l. 13. §. fin. ff. d. S. P. U. quæ tum competit, quando alter sociorum, qui fortè reficere parietem, vel aliquid inædificare, contendit, cautionem de damno infecto socio præstiterit. l. 28. l. 39. ff. de damn. inf. l. 27. §. 10. inf. ff. ad L. Aquil. Hæc actio competit etiam illi, cui cautio quidem data, ipse tamen, damno non expectato, ob ipsius metum, ædes vel parietem suum fulsit, has enim impensas ex stipulatu actione consequi potest. vid. l. 28. ff. d. damn. inf. (III.) Actio pro socio, qua convenitur is, qui expresse cum vicino eam societatem iniit, ut uterque certam fundi partem contribueret, ubi parietem cratirium inter se ædificarent, ad onera utriusque sustinenda, nam si ædificato jam pariete, alter non patiatur in eum immittere. vid. l. 52. §. 13. ff. pro soc. vel refectio- nem parietis ad usum destinatum prohibeat, vel in refectio- cesset, ita ut alter expensas facere & reficere parietem necesse habeat. v. d. l. 52. §. 10. junct. l. 4. C. d. adif. priv. pro socio agen- dum est, ut vel socius reficiat ipse, vel reficienti non sit impe- dimento, vel impensas in refectioe factas pro portione sua restituat, dd. ll. & l. 32. ff. d. damn. inf. (IV.) Actio damni injuriæ dati, ex L. Aquil. ejusque cap. 3. Si vicinus parieti damnum de- derit. vid. l. 27. §. 9. & 10. junct. §. 5. ff. ad L. Aquil. Conf. supr. th. 23. (V.) Actio Injuriarum. Si v. g. paries ad ædificandum communiter quæsitus sit, sociusque ædificare volentem pro- hibuerit, nam & hic actione injuriarum tenetur, qui re mea uti me non permittit. l. 13. §. f. l. 14. l. 24. ff. d. injur. l. II. ibique Goth. ff. d. vi & vi arm. l. 3. §. 2. ff. uti poss.

XXXV. Actiones in rem vel petitorie sunt vel possessoria. Illæ ad rerum, tum corporalium tum incorporalium, hoc est, jurium persecutionem sunt comparatæ. Quare (I.) præ- suppositis tamen terminis habilibus, competit Rei vindicatio, quæ socius, qui solus parietem refecit, nihilque impensarum nomine à socio recuperare potuit, elapsis post motam prius actionem pro socio vel communi dividundo, quatuor mensi- bus, do-

bus, dominium ipsius parietis in solidum vindicare potest. *vig. l. 52. §. 10. ibique Goth. ff. pro soc. l. 4. C. d. adif. priv. Add. l. 46. ff. d. damn. inf. vid. thes. 30. (II.) Actio Negatoria* (quæ opponitur ei, qui *actione confessoria* jure servitutis experitur, hoc vel illud in pariete, qui tamen communis est, agere habere-ve licere) qua quis negat, jus socio esse, parietem hoc vel illo modo habere. Nam si paries communis, opere abs te facto, in ædes meas se inclinaverit, potero tecum agere, jus Tibi non esse, parietem ita habere. *l. 14. inf. l. 17. pr. ff. si serv. vind. scilicet: si tu jure servitutis hoc vel illo modo parietem habere contendas, per Gl. ind. l. 14. alias neque confessoria neque negatoria locum habere potest, vig. l. 26. ff. d. S. P. U. competunt enim dictæ duæ actiones pro servitutibus, quod autem socius commune habet, id jure domini, non jure servitutis habet. Idcirco potius agendum est actione communi dividendo l. 4. ff. d. serv. leg. d. l. 26. l. 3. §. 1. & 2. ff. d. n. o. n. cum in re communi nemo Dominorum jure servitutis, neque facere quicquam altero invito possit, neque prohibere, quo minus alter faciat, quia nemini res sua servit. dict. l. 26. (III.) Actiones præjudiciales, quæ tum dantur, cum alter ab altero socius esse negatur, ad hoc, ut prius quæstio de societate, an nimirum talis aliqua inter vicinos, ratione parietis existat, expediatur, & tunc demum, an alteruti hoc vel illud facere permittatur. arg. §. 13. J. d. Act. faciunt huc, quæ supr. in th. 31. de facto contigisse diximus.*

XXXVI. *Actiones Possessoria sunt Interdicta, tum retinenda possessionis, ut Interdictum, Uti possidetis, quo socius, qui in possessione parietis communis turbatus est, experiri potest, adversus socium, qui jure in pariete communi sibi quæsito pro suo arbitrio uti prohibuit. l. 12. ibique Gl. ff. Comm. div. arg. l. 8. §. 5. in f. ff. si serv. vind. l. 3. §. 2. ff. Uti poss. l. 11. ff. d. Vi & Vi arm. tum Recuperanda: Unde Vi. Cui locus est, si quis à socio vi dejectus sit à possessione parietis, vel vi repulsus, quo minus actum, quem, ceu licitum, in pariete communi intrârat, effectui mandare queat. arg. l. 1. §. 31. & seq. l. 11. ff. d. Vi & vi arm. can. redintegranda. 3. caus. 3. q. 1. & c. Sepe. 18. X. d. Restit. spol. Bicc. Aur. sect. 3. th. 177.*

XXXVII. Denique, cum Communione materia multas excitare soleat discordias. *l. 77. §. 20. ff. d. Leg. 2.* Ideo propter immensas sociorum contentiones, plerumque res ad divisionem venit. *l. 26. ff. d. S. P. U.* nemo enim in communione vel societate invitus detineri compellitur. *l. fin. C. Comm. div.* quare ad divisionem ipsius parietis comparata est *Actio Communi dividundo. d. l. 26. ff. d. serv. præd. Urb. l. 4. ff. d. serv. leg.* quæ hac ratione *realis* est; Attamen, quia præstationes personales hac ipsa Actione peti consueverunt, adeo ut omnia, quæ supra in Actione pro socio obtinere diximus, hic quoque sibi locum vindicent, adhibita solum distinctione, quod *illa* non detur, nisi quando expresse in societatem est consensum, *l. 52. §. 10. & 13. ff. pro soc. hæc* autem, cum tacite quis cum socio in societatem incidit. *l. 12. ff. Comm. div. l. 4. C. d. adif. priv. l. 23. ff. d. damn. inf.* Idcirco ad *actiones personales* jure referenda foret. Sed quia hæc mixtura propriam quandam efficit actionum speciem, quæ in jure nostro *mixta* appellantur. *vid. §. 20. J. d. Act. l. 4. §. 3 ff. Comm. Div.* non abs re esse duximus, si peculiarem huic actioni *mixta* destinemus locum. *Conf. Bicc. Aur. Sect. 5. th. 7. lit. C. & C. J. A. in lib. 10. t. 1. thes. 1. & seqq.* Qui vero in hoc Communi dividundo iudicio æstimatio parietis, ubi forte per adjudicationem, cum divisio *realis* est impossibilis, dirimenda *lis* est, ineunda sit, eleganter tradit *Vitruv. insignis iste Architectus in l. 2. cap. 8.* quo etiam *B. L. remittimus.*

XXXVIII. *Affinia* huic juri sunt: Jus Finium Communium, de quo in *lib. 10. ff. T. 1. & Varia servitutum jura*, quæ nominatim exprimere, nostri non est instituti.


XXXIX. Tollitur autem Jus hoc eodem, quo constitui diximus, modo: nihil enim tam naturale est, quam eo genere quodlibet dissolvi, quo colligatum est. *l. 35. ff. d. R. J.* idè, quod ex nudo consensu Jus & obligatio constituitur, contrario consensu dissolvitur. *d. l. 35. inf. junct. l. 5. C. Comm. div. l. 63. §. fin. l. 64. 65. pr. ff. pro soc.* quod per divisionem mediante actione communi dividundo expediri. *in th. 37. dictum.* Ita quoque *interitus* parietis totalis, qui citra ullius sociorum culpam contigit, societatem istam dirimit, neque enim

enim ejus rei, quæ jam nulla est, quispiam socius esse potest,
d.l. 63. §. fin. quod si culpa socii collapsus est, ipsius quoq; expen-
sis debet reparari, uti supra in th. 31. præjudicio quodam con-
firmavimus. Morte tamen unius socii Jus hoc, tanquam in
re ipsa constitutum, dissolvi non potest, sed unâ cum
ædibus in omnem successorem
transmittitur.

Tantum de hac materia, pro ejus dignitate
parum, pro ratione instituti, satis.

*Soli DEO sit pro concessa Gratia, Laus, Honor
& Gloria in sempiterna secula.*

F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text, also appearing to be bleed-through.



ULB Halle 3
004 395 050


2. T. Verknüpfung

VD17





4786. DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

DE

PARIETE COMMUNI,
NI, EIUSDEMQUE
JURE.

QUAM


PRÆSIDE TRIUNO,
DECRETO ET AUTHORITY
AMPLISSIMI JURISCONSUL-
TORVM ORDINIS,
IN FLORENTISSIMA ARGENTINENSIVM
UNIVERSITATE,

PRO

*Consequendis summis in Utroque Jure honoribus
& Privilegiis DOCTORALIBUS*
SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOHANNES Scherbaum /
Durlaco - Marchicus.

Ad Diem XII. Mens. April.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI,
ANNO M DC LXXI.

M

1671, 13a

18

(4)

(17)

